

nuper qui Oberlini et Schweighaeuseri in 'Arg. b' discrepantiam ex utriusque collatoris negligentia repeteret.

Iam ad alteram traditionis partem (ep. 89—124) pervenimus. in hac optimae auctoritatis est **B**, id est codex Bambergensis V 14 membranaceus saeculi IX, cuius folium 25^r diligenter redditur Chatelainiani operis tabula 173, 1. totum librum cum Schweighaeuseri editione contulit Buecheler a. 1872. et quam curiose id fecerit et prudenter, plus semel cognovi, cum propter aliquam Weidnerianae collationis a Georgio Windhaus Darmstadiæ a. 1879 editae discrepantiam aliamve ob causam meis oculis inspicerem codicem, quem cum proecdosin emittere pararem Friburgum Brisigavorum officiose transmisit Fr. Leitschuh, bibliothecae regiae Bambergensis tunc praefectus. interim quem et ipsum iam decessisse maeremus, dialogorum editor meritissimus Aemilius Hermes litteris ad me datis ante hos tres annos nonnulla quae ad supplendam Buecheleri collationem vel etiam corrigendam pertinent obtulit mihi liberaliter. Buecheleri igitur collatione cum haec editionis pars fere sola nitatur, ea repetere fas est verba, quibus ille breviter descripsit codicem in prooemio sex epistulis felicissime a se emendatis Bonnae a. 1879 praemisso p. VI s.: 'continet epistularum libros a XIV ad XX quaternionibus sedecim foliisque quatuor sextante . . . paginae versuum vicenum binum aut vicenum singulum. pulcerrima scriptura et in orthographicis admodum emendata, quamobrem huius generis etiam levisimas discrepantias (*ae oe e*) enotavi plurimas. rasa satis multa, saepe quae veloci librarius impetu abreptus male incohaverat, raro quae vetustioris exemplaris produnt memoriam. compendia syllabarum paucula, in exitu plura quam in tenore versuum, nulla non volgaria, *et* syllaba etiam ubi medium vocabulum occupat plerumque tractu uno notata est. quaedam partes operis mendis scatent ut extremae epistulae prope omnes aliaeque dialecticae argumentationis difficultatibus implicatae, quaedam nullo fere vitio adfectae apparent. plures in exarando libro operam navarunt scribae, excepit scribam relegendoque adiuvit corrector antiquus.